



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De pœnitentia secundum quod est virtus. Quæstio. 85.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

propofito; non excludit quin prima penitencia vera fuerit: numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequenter. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet: ita verè penituit, qui postea peccat.

Ad quintum dicendum, quod baptismus habet virtutem ex passione Christi, sicut quædam spiritualis generatio cum spirituali morte precedentis vitæ. Statutum autem est hominibus semel mori, & semel nasci. Et ided semel tantum debet homo baptizari. Sed penitencia habet virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis medicatio, quæ frequenter iterari potest.

Ad sextum dicendum, quod secundum Augu. * in lib. de penit. constat Deo multum displicere peccata: qui semper præsto est ea destruere, ne solvatur quod creavit, nec corrumpatur quod amavit, scilicet per desperationem. *ca. 5. non longe à pr. to. 4. De pan. di. 3. c. 32*

QVÆST. LXXXV.

De sacramento penitencia, secundum quod est virtus, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de penitencia secundum quod est virtus.

- ¶ Et circa hoc quaruntur sex.
- ¶ Primo, utrum penitencia sit virtus?
- ¶ Secundo, utrum sit virtus specialis?
- ¶ Tertio, sub qua specie virtutis contineatur.
- ¶ Quarto, de subiecto eius.
- ¶ Quinto, de causa ipsius.
- ¶ Sexto, de ordine eius ad alias virtutes.

ARTIC. I.

Utrum penitencia sit virtus?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod penitencia non sit virtus. Penitencia enim est quoddam sacramentum alijs sacramentis connumeratum: ut ex * supradictis patet. Sed nullum aliud sacramentorum est virtus. Ergo neque penitencia est virtus.

§ 20
 4. di. 24.
 q. 1. ar. 1.
 q. 2. c. 1.
 3. q. 1.
 cor. et ad
 2. c. q. 2.
 c. 4.
 * q. prac.
 a. 1. c. q.
 65. a. 10

ii 3 ¶ 2 Pra.

† li. 4. ca. ult. to. 5. * Ho. 34. in euāg. post med. ¶ in reg. li. 9. c. 29. nō lōge à fi de pen. di. 3. c. 1. ¶ 6.

¶ 2 Præterea, secundum Philosophum † 4. ethic. verecundia non est virtus: tum quia est passio habens corporalem immutationem, tum etiam quia non est dispositio perfecti: cum sit de turpi actu, quod non habet locum in homine virtuoso. Sed similiter pœnitentia est quædam passio habens corporalem immutationem, scilicet ploratum (sicut Grego. * dicit, quod pœnitere est peccata præterita plangere): est etiam de turpibus factis, scilicet de peccatis, quæ non habent locum in homine virtuoso. Ergo pœnitentia non est virtus.

¶ 3 Præterea, secundum Philosophum 4. ethic. nullus est stultus eorum, qui sunt secundum virtutem. Sed stultum videtur dolere de commisso præterito, quod non potest non esse: quod tamen pertinet ad pœnitentiam. Ergo pœnitentia non est virtus.

SED contra est, quod præcepta legis dantur de actibus virtutum: quia legislator intendit ciues facere virtuosos, vt dicitur 2. Ethic. * Sed præceptum diuinæ legis est de pœnitentia, secundum illud Matthæi 4. Pœnitentiam agite, &c. Ergo pœnitentia est virtus.

in isto a. ex arg. 2. ¶ 9. p̄c. † 9. præc. ar. 9.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex dictis * patet, pœnitere est de aliquo prius a se facto dolere. Dictum est autem supra † quod dolor, vel tristitia, dupliciter dicitur. Vno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitui: & quantum ad hoc pœnitentia non est virtus, sed passio. Alio modo secundum quod consistit in voluntate: & hoc modo est cum quadam electione. Quæ quidem si sit re-

s. 2. ¶ 6. so. 5.

cta, necesse est quod sit actus virtutis: * dicitur enim 2. Ethic. quod virtus est habitus electiuus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, vt aliquis doleat, de quo dolendum est, & eo modo & sine quo dolendum est. Quod quidem obseruatur in pœnitentia, de qua nunc loquimur: nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione remouendi ea. Vnde ma-

nife.

nifestum est, quòd pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.

Ad primum ergo dicendum, quòd (sicut dictum est *) in sacramento pœnitentiæ materialiter se habent actus humani: quod non contingit in baptismo, vel confirmatione. Et idèd cum virtus sit principium alicuius actus, potius pœnitentia est virtus vel cum virtute, quàm baptismus seu confirmatio.

Ad secundum dicendum, quòd pœnitentia secundum quod est passio, non est virtus, vt dictum est *: sic autem habet corporalem transmutationem adiunctam. Est tamen virtus secundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam. Quod tamen magis potest dici de pœnitentia quàm de verecundia: nam verecundia respicit turpe factum vt præsens, pro quo timet confundi: pœnitentia verò vt præteritum. Est autem contra perfectionem virtutis, quòd aliquis in præsentem habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari: non est autem contra perfectionem virtutis, quòd aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere, cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus.

Ad tertium dicendum, quòd dolere de eo quod prius factum est, cum intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non intendit pœnitens, sed dolor eius est displicentia seu reprobatio facti præteriti, cum intentione remouendi sequeiam ipsius, scilicet offensam Dei & reatum pœn. Et hoc non est stultum.

ARTIC. II.

Vtrum pœnitentia sit specialis virtus?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quòd pœnitentia non sit specialis virtus. Eiusdem enim rationis videtur esse gaudere de bonis prius actis, & dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono prius facto, non est specialis virtus, sed est quidam affectus laudabilis ex charitate proveniens: vt patet per Augustin. * 14. de ciuita. Dei. Vnde & Aposto-

1 i 3 lus

q. prac. a. 1. 2. 3.

in co. ar.

521

4 d 14. q.

1. ar. 1. q.

2. 3. & 4

c. 7. d me.

10. 5.

lus 1. ad Corinth. 13. dicit, quòd charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Ergo pari ratione nec pœnitentia, quæ est dolor de peccatis præteritis, est specialis virtus, sed est quidam affectus ex charitate proueniens.

¶ 2 Præterea, Qualibet virtus specialis habet materiam specialem: quia habitus distinguuntur per actus, & actus per objecta. Sed pœnitentia non habet materiam specialem: sunt enim eius materia peccata præterita circa quamcumque materiam. Ergo pœnitentia non est specialis virtus.

¶ 3 Præterea, Nihil expellitur nisi à suo contrario. Sed pœnitentia expellit omnia peccata. Ergo contrariatur omnibus peccatis. Non ergo est specialis virtus.

SED contra est, quod de ea datur speciale legis præceptum: vt supra habitum est*.

q. præce. a. 5. ¶ 7
1. 2. q. 54
a. 1. ad 1
¶ a. 2.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut in secunda parte habitum est*) species habituum distinguuntur secundum species actuum. Et ideò vbi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quòd in pœnitentia inuenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa: quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Vnde necesse est ponere, quòd pœnitentia est specialis virtus.

Ad primum ergo dicendum, quòd à charitate deriuatur aliquis actus dupliciter. Vno modo sicut ab ea elicitus. Et talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter charitatem: sicut diligere bonum, gaudere de eo, & tristari de opposito. Alio modo aliquis actus à charitate procedit, quasi à charitate imperatus. Et sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus (vt pote ordinans eas ad finem suum) actus à charitate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti,

riti, hoc immediatè ad charitatem pertinet: sicut & gaudere de bonis præteritis. Sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit specialem virtutem sub charitate.

Ad secundum dicendum, quòd penitentia habet quidem realiter generalem materiam, in quantum respicit omnia peccata: sed tamen sub ratione speciali, in quantum scilicet sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam iustificationem.

Ad tertium dicendum, quòd quælibet virtus specialis formaliter expellit habitum vicij oppositi: sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto. Sed penitentia expellit omne peccatum effectiue: in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex diuina gratia, homine cooperante. Vnde non sequitur, quòd sit virtus generalis.

ARTIC. III.

Utrum virtus penitentia sit species iustitia?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd virtus penitentia non sit species iustitia. Iustitia enim non est virtus theologica, sed moralis, vt in secunda parte patet*. Penitentia autem videtur esse virtus theologica, quia habet Deum pro obiecto: satisfacit enim Deo, cui etiam reconciliat peccatorem. Ergo videtur, quòd penitentia non sit species iustitia.

¶ 2 Præterea, Iustitia cum sit virtus moralis, consistit in medio. Sed penitentia non consistit in medio, sed in quodam excessu: secundum illud Hier. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Ergo penitentia non est species iustitia.

¶ 3 Præterea, Duæ sunt species iustitia (vt dicitur in 5. ethicor. *) scilicet distributiua & commutatiua. Sed sub neutra videtur penitentia contineri. Ergo videtur, quòd penitentia non sit species iustitia.

¶ 4 Præterea, Super illud Lucæ 6. Beati qui nunc

Li 4 Actis

522

Inf. a. 4.
cor. 4.
dis. 14. 9.
1. a. 1. 9.
4. ad 4. et
9 5. per
tot. d.
15. q. 1. a
1. q. 3. ad
4.
* 1. 2. q.
62. ar. 2.
6. 3.

c. 4. 10. 5.

gl.ord.ib. fletis, dicit glos. * Ecce prudentia, qua ostenditur quam hæc terrena sint misera, & quam beata cælestia. Sed flere est actus pœnitentiæ. Ergo pœnitentiæ magis est species prudentiæ, quam iustitiæ.

c. 8. à me. to. 4. SED contra est, quod August * dicit in lib. de pœnitentiæ, Pœnitentiæ est quadam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commississe. Sed vindictam facere pertinet ad iustitiam: unde Tul-

lib. 2. de Inuētio. fol. 4. an. iustitiæ. lius † in sua Rhetor. ponit vindictam vnā speciem iustitiæ. Ergo videtur, quod pœnitentiæ sit species iustitiæ.

*fin. * a præc.* RESPONDEO dicendum, quod (sicut supra dictum est *) pœnitentiæ non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas): sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito.

Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur vterius quadam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut & retributio: nisi quod recompensatio est ex parte eius qui offendit (vt pote cum satisfacit), retributio autem est ex parte eius, in quem est offensa commissa. Vtrumque autem ad materiam iustitiæ pertinet: quia verumque est commutatio quadam.

s. 6. to. 5. Unde manifestum est, quod pœnitentiæ secundum quod est virtus, est pars iustitiæ. Sciendum tamen est, quod secundum Philosophum * in 5. Ethicor. dupliciter dicitur iustum, scilicet simpliciter & secundum quid. Simpliciter quidem iustum, est inter æquales, eo quod iustitia est æqualitas quadam: quod ipse vocat iustum politicum vel ciuile, eo quod omnes ciues æquales sunt, quantum ad hoc quod immediate sunt sub principe, sicut liberi existentes. Iustum autem secundum quid dicitur, quod est inter illos, quorum vnus est sub potestate alterius: sicut seruus sub domino, filius sub patre, vxor sub viro.

Et

Et tale iustum consideratur in pœnitentia. Vnde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut seruus ad dominum, secundum illud Psalm. 122. Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Et sicut filius ad patrem, secundum illud Luc. 15. Pater peccaui in calum & coram te. Et sicut vxor ad virum, secundum illud Hierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut in 5. ethic. dicitur *) iustitia est virtus ad alterum. Ille autem, ad quem est iustitia, non dicitur esse materia iustitiæ, sed magis res quæ distribuuntur, vel commutantur. Vnde & materia pœnitentiæ non est Deus, sed actus humani, quibus Deus offenditur vel placatur: sed Deus se habet, sicut ille, ad quem est iustitia. Ex quo patet, quod pœnitentia non est virtus theologica, quia non habet Deum pro obiecto, vel materia.

*li. 5. c. 1.
non loqe
à fi. 10. 5.*

Ad secundum dicendum, quod medium iustitiæ est æqualitas, quæ constituitur inter illos, inter quos est iustitia, vt dicitur in 5. ethic. * In quibusdam autem non potest perfecta æqualitas constitui, propter alterius excellentiam: sicut inter patrem & filium, inter Deum, & hominem, vt Philof. * dicit in 8. ethic. Vnde in talibus ille qui est deficiens, debet facere, quicquid potest. Nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem superioris. Et hoc significatur per excessum, qui attribuitur pœnitentiæ.

*li. 5. c. 1.
c. 2. 10.
5.
li. 8. c. 11
sim. 10. 5*

Ad tertium dicendum, quod sicut est commutatio quædam in beneficijs, (cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit) ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel inuitus punitur, quod pertinet ad vindicatiuam iustitiam: vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam,

tiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut iustitia vindicativa personam iudicis. Vnde manifestum est, quod utraque sub iustitia commutativa continetur.

Ad quartum dicendum, quod pœnitentia licet sit directe species iustitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim est iustitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quæ sunt virtutum theologiarum, quæ habent Deum pro objecto. Vnde pœnitentia est cum fide passionis Christi, per quam iustificamur à peccatis: & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum: quod pertinet ad charitatem. In quantum verò est virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ est directiva omnium moralium virtutum. Sed ex ipsa ratione iustitiæ non solum habet id quod iustitiæ est, sed etiam ea quæ sunt temperantiæ & fortitudinis, in quantum scilicet, ea quæ delectationem causant, ad temperantiam pertinentem, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem iustitiæ veniunt. Et secundum hoc ad iustitiam pertinet, & abstinere à delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam: & sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

ARTIC. IV.

Utrum voluntas sit propriè subiectum pœnitentiæ?

523

4. d. 14. q.

2. a. 3. q.

1. per 10.

¶ 9. 4.

507.

in lib. de

vera, &

fal pœn.

c. 8. à me.

tom. 4.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod subiectum pœnitentiæ non sit propriè voluntas. Pœnitentia enim est tristitiæ species. Sed tristitia est in concupiscibili, sicut & gaudium. Ergo pœnitentia est in concupiscibili.

¶ 2. Præterea, Pœnitentia est vindicta quædam, sicut August. dicit * in lib. de pœniten. Sed vindicta videtur ad irascibilem pertinere: quia ira est appetitus vindictæ. Ergo videtur, quod pœnitentia sit in irascibili.

¶ 3. Præ

¶ 3 Præterea, Præteritum est proprium obiectum memoriæ, secundum Philosophum † in lib. *c. 1. fo. 1.* de Memoria. Sed penitencia est de præterito, ut dictum est. Ergo penitencia est in memoria sicut in subiecto.

¶ 4 Præterea, Nihil agit ubi non est. Sed penitencia excludit peccatum ab omnibus viribus animæ. Ergo penitencia est in qualibet vi animæ, & non in voluntate tantum.

SE D contra, Penitencia est sacrificium quoddam, secundum illud Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Sed offerre sacrificium est actus voluntatis, secundum illud Psal. 53. Voluntariè sacrificabo tibi. Ergo penitencia est in voluntate.

RESPONDEO dicendum, quòd de penitencia dupliciter loqui possumus. Vno modo, secundum quod est passio quædam. Et sic cum sit species tristitiæ, est in concupiscibili sicut in subiecto. Alio modo secundum quod est virtus. Et sic sicut dictum est *, est species iustitiæ. Iustitia autem (ut in 2. par. † habitum est) habet pro subiecto appetitum rationis, qui est voluntas. Vnde manifestum est, quòd penitencia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut in subiecto; & proprius eius actus est propositura emendandi illud quod contra Deum commissum est. *art. præc. † 1. 2. q. 56. ar. 6.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de penitencia, secundum quod est passio.

Ad secundum dicendum, quòd vindictam appetere ex passione de alio, pertinet ad irascibilem. Sed appetere vel facere vindictam ex ratione de se vel de alio, pertinet ad voluntatem.

Ad tertium dicendum, quòd memoria est vis apprehensiva præteriti. Penitencia autem non pertinet ad vim apprehensivam, sed ad appetitivam, quæ præsupponit actum apprehensivum. Vnde penitencia non est in memoria, sed præsupponit eam.

Ad quartum dicendum, quòd voluntas (sicut in *1. p. q. 52 ar. 4.* prima parte habitum est *) mouet omnes alias potencias

tias animæ. Et ideo non est inconueniens, si pœnitentia in voluntate existens, aliquid in singulis pœnitentijs animæ operetur.

ARTIC. V.

§ 24. *Vtrum principium pœnitentiæ sit ex timore?*

4. d. 14.

q. 1. a. 2.

q. 1. per

10. q. 4.

2. c.

Ar. 3. hu

ius 9.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod principium pœnitentiæ non sit ex timore. Pœnitentia enim incipit in displicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad charitatem, ut supra dictum est*. Ergo pœnitentia magis oritur ex amore, quam ex timore.

¶ 2. Præterea, Ad pœnitentiam homines prouocantur per expectationem regni cœlestis, secundum illud Matth. 3. & 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Sed regnum cœlorum est obiectum spei. Ergo pœnitentia magis procedit ex spe, quam ex timore.

¶ 3. Præterea, Timor est quidam actus interior hominis. Pœnitentia autem non videtur in nobis esse ex opere hominis, sed ex opere Dei: secundum illud Hier. 31. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam. Ergo pœnitentia non procedit ex timore.

SED contra est, quod Isai. 26. dicitur, Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus, scilicet per pœnitentiam. Et postea subditur secundum aliam litteram, A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis, id est, pœnitentiæ salutaris, ut per præmissa patet*. Ergo pœnitentia procedit ex timore.

ex q. præ-
ced. ar. 6.

RESPONDEO dicendum, quod de pœnitentia loqui possumus dupliciter. Vno modo quantum ad habitum. Et sic immediate à Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus; non tamen sine nobis dispositiue cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei opera-

tio

tio conuertentis cor, secundum illud Thren. vlt. Conuer-
te nos Domine ad te, & conuertemur. Secundus
actus est motus fidei. Tertius est motus timoris ser-
uilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retra-
hitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub
spe veniæ consequendæ assumit propositum emendan-
di. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui
peccatum displicet secundum seipsum, & non iam
propter supplicia. Sextus actus est motus timoris fi-
lialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendã
Deo voluntarius offert. Sic igitur patet, quòd actus
penitentia à timore seruili procedit sicut à primo
motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem fi-
liali sicut ab immediato, & proximo principio.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum prius
incipit homini displicere (maximè peccatori) pro-
pter supplicia, quæ respicit timor seruilis, quam pro-
pter Dei offensam, vel peccati turpitudinem: quod
pertinet ad charitatem.

Ad secundum dicendum, quòd in regno cælorum
appropinquante, intelligitur aduentus Regis, non so-
lum præmiantis, sed etiam punientis. Vnde & Mat. 2.
Ioannes Baptista dicebat, Progenies viperarum, quis
demonstrauit vobis fugere à ventura ira?

Ad tertium dicendum, quòd ipse etiam motus ti-
moris procedit ex actu Dei conuertentis cor. Vnde
dicitur Deuter. 5. Quis det eos talem habere men-
tem, vt timeant me? Et ideo per hoc, quòd penitentia
à timore procedit, non excluditur quin procedat ex
actu Dei conuertentis cor.

ARTIC. VI.

Verum penitentia sit prima virtutum?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd pe-
nitentia sit prima virtutum. Quia super illud
Matth. 3. Penitentiam agite, dicitur gl'f. * Prima vir-
tus est, per penitentiam punire veterem hominem,
& vitia odisse.

§ 25
4. d. 14. q.
1. a. 1. q.
6. a. 1. 6.
et ar. 2.
9. 2.
gl. or. ib.

¶ 2 Præterea, Recedere à termino, prius esse
vide-

videtur, quam accedere ad terminum. Sed omnes alia virtutes pertinere videntur ad accessum ad terminum (quia per omnes ordinatur homo ad bonum agendum): penitentia autem videtur ordinari ad recessum a malo. Ergo penitentia videtur esse prior omnibus alijs virtutibus.

¶ 3 Præterea, Ante penitentiam est peccatum in anima. Sed simul cum peccato nulla virtus animæ inest. Ergo nulla virtus est ante penitentiam: sed ipsa videtur esse prima, quæ alijs aditum aperit, excludendo peccatum.

SED contra est, quod penitentia procedit ex *art. præc.* fide, spe, & charitate, sicut iam dictum est *. Non ergo est penitentia prima virtutum.

RESPONDEO dicendum, quod in virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad habitum: quia cum virtutes sint connexæ (ut in secunda parte habitum est *), omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur vna earum esse prior altera ordine naturæ, qui consideratur ex ordine actuum: secundum scilicet, quod actus vnius virtutis præsupponit actum alterius virtutis. Secundum hoc igitur dicendum est, quod actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere possunt actum & habitum penitentia: sicut actus fidei & spei informium, & actus timoris servilis. Actus autem & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu & habitu penitentia, & cum habitibus aliarum virtutum. Nam sicut in secunda parte habitum est *, in iustificatione impij simul est motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatus; & motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus penitentia. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum: nam actus virtutis penitentia est contra peccatum ex amore Dei: unde primus actus est ratio & causa secundi. Sic igitur penitentia non est simpliciter prima virtutum, nec ordine temporis, nec ordine naturæ: quia secundum ordinem naturæ simpliciter præ-

3.2.9.117
2.3.28.8.

præcedunt ipsam virtutes theologicæ. Sed quantum ad aliquid est prima inter cæteras virtutes, ordine temporis, quantum ad eius actum, qui primus occurrit in iustificatione impij; sed ordine naturæ videntur esse aliæ virtutes priores, sicut quod est per se, est prius eo quod est per accidens. Nam aliæ virtutes, per se videntur esse necessariæ ad bonū hominis: penitentiā autem supposito quodam, scilicet peccato præexistenti; sicut etiam dictum est * circa ordinem sacramenti penitentiæ ad alia sacramenta prædicta.

q. 66. a 4

Ad primum ergo dicendum, quod glossa illa loquitur quantum ad hoc, quod actus penitentiæ primus est tempore inter actus aliarū virtutum moralium.

Ad secundum dicendum, quod in motibus successivis recedere à termino, est prius tempore, quam peruenire ad terminum; & prius natura, quantum est ex parte subiecti, siue secundum ordinem causæ materialis. Sed secundum ordinem causæ agentis & finalis, prius est peruenire ad terminum: hoc enim est quod primo agens intendit. Et hic ordo præcipuè attenditur in actibus animæ, ut dicitur in 2. Physic.

Ad tertium dicendum, quod penitentiā aperit aditum virtutibus, expellendo peccatum per virtutem fidei & charitatis, quæ sunt naturaliter priores: ita tamen aperit eis aditum, quod ipsæ simul intrant cum ipsa. Nam in iustificatione impij simul cum motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum, est remissio culpæ & infusio gratiæ, cum qua simul infunduntur omnes virtutes: ut in secunda parte habitum est *.

1.2. q. 113

a. 7. et 8.

et q. 65.

a. 3. et 2.

QVÆST. LXXXVI.

De effectu penitentiæ quo ad mortaliū peccatorum remissionem, in sex articulos diuisa.

Dinde considerandum est de effectu penitentiæ. Et primo, quantum ad remissionem peccatorum mortalium: secundo, quantum ad remissionem peccatorum venialium; tertio, quantum ad redi-

redi-